

Programma

PANEM VIVVM
CAELO DELAPSVM
SERVATOREM
OPTIMVM
BETHLEHEMAE
HOCEST
IN DOMO PANIS
MATAN
QVVM EIVS NATALEM
A. CCCCXXX
VNIVERSVS COETVS CHRISTIANVS
SVMMA CAERIMONIA
AGERET
CELEBRARE
ET
ANNONAE DIFFICVLTATEM
PANISQVE PENVRIAM
EO SOLARI
VOLVERVNT
SCHOLAE CATHEDRALIS ALVMNI
I. ORDINI ADSCRIPTI.

NUMVRGI,
LITTERIS BOSSOEGLIANIS.



oestus vbique sonat gemitus: tristisque
querela
Auditur passim per forta, per que domos:
O Deus, in quae nos seruasti tempora,
nobis
Quae solitum renuant suppeditare cibum!
Quanta premit nostras panis penuria terras!
Vix homines escam, qua satientur, habent.
Hoc effecit hiems: quae quum constringeret arua;
Non peperit fruges terra perusta gelu.
Semina nec potuit gremio dispersa fouere:
Hinc habuit casum nil nisi gramen ager.
Copia frumenti, multos collecta per annos,
Externis cesit vendita tota locis.
Nil igitur restat, nisi fletibus ora rigare,
Et nostram tristi mente dolere vicem.
Sistite sed lacrimas: moestum compescite questum:
Solamen, miseri quo recreemur, adest.
Is, qui pascit aues, qui coruis pabula praestat,
Non poterit natos deseruisse suos.
Si nobis fruges tellus perarata negabit;
In nos caelestes depluet aura dapes.
Iudeam gentem, loca per deserta meantem,
Qui pauci lautis aetherisque cibis:
Non est illius nunc debilitata potestas;
Nouit adhuc forti mira patrare manu.
Nobilior tamen est fragili mens corpore nostra,
Altorisque magis subuenientis eget.
Ut vetitum primi fructum carpsere parentes;
Debuit haec summo iure perire fame.
Nam non primorum tantum commissa parentum
Noxa, sed et cunctae posteritatis, erat.
Ac veluti natum fortuna tenaciter vrget;
Quum genitor luxu dilapidauit opes:
Sic genus humanum rebus vexatur iniquis;
Decoxit postquam noster vterque parens.

Nostra que mens, retulit summum quae sancta Iehouam,
Quas possedit, opum perdidit omne genus.
Quod mare, quod tellus, amplius quod continet aër,
Hanc virtute sua non satiare potest.
Est Deus, est solus, qui nostram numine mentem
Pascere rite potest, praetereaque nihil.
Quam quum destituit patrati criminis vltor;
Nil prorsus super est, cuius alatur ope.
Iustitiam sed vicit amor, iudexque seuerus
Euasit trepidis portus et ara reis.
Promisitque Deus, se certo tempore natum
Misurum nobis deliciumque suum.
Eset qui nobis, delapsus ab aethere, panis,
Et nostrae factus conditionis homo.
Non ita suspirat vitalis fercula panis,
Cuius sunt longa viscera cassa fame:
Ut veteres cupiere Deum, de virginе natum,
Luminibus tandem posse videre suis.
Tharaidem hic panis mira dulcedine duxit;
Quum praecepit eum non dubitante fide.
Isacides illum spe non gustauit inani;
Quum gelidae vellet mortis adire viam.
Foederis antiqui clamabat turba piorum,
Ingeminans sanctum nocte dieque melos:
Rumpe moras, panis, celso delabere caelo:
Non nobis dulcis te sine vita placet.
Auditi gemitus tandem, rata vota, fuerunt:
De caelo panis, quem petiere, venit.
Iudaicis locus est parvus, sed clarus, in oris:
Incola Bethlehem nomine turba vocat.
Fertilibus fuerat nomen sortitus ab agris;
Quod ratione tamen nunc meliore gerit.
Nunc vere domus est panis, dum, virgine natam,
Progeniem summi continet ille patris.
Infantes, stimulante fame, pro pane comesos,
Gelatarum rerum nos monumenta docent.

Hic infans animos satiabit , panis ut almus ,
In tenebris stabuli qui iacet , inque gelu .
Propterea paruo nutritur laete parentis :
Pallida ne perimat pectora nostra fames .
Languida confirmat ceu corpora panis et auget :
Mentes hic aegras non finit esse puer .
Passibus ergo citis huc currite , panis egentes ,
Mentibus et vestris consulitote bene .
Vos scelerum glandes Epicuri de grege porcis
Linquite , turba quibus luxuriosa perit .
Lautitiis mundi spretis , hoc pane fruamur :
Mellis erit nobis ambrosiaeque loco .
Manna velut quandam retulit genus omne ciborum ,
Finixerat ingenio quos sibi quisque suo :
Hic desiderium nostrum sedabit abunde
Panis , cui tellus non habet ampla parem .
Aedibus in sacris mensae sternuntur , ibique
Hunc panem nobis participare licet .
Ergo , fide ornati , mensas veniamus ad illas :
Ut nequeat mentis nos cruciare fames .
Quamuis nos multo lacrimarum pane cibemur ;
Hic panis faciet , fiat ut ille bonus .
Hic panis tandem nos confirmabit , euntes ,
Per mortis tenebras , in tua regia , Deus .
Olim dulce quidem Iudeos Manna refecit ;
Mors iniecit iis sed tamen atra manus .
Viuet is aeternum , quicunque hoc pane fruatur :
Letum nil in eum iuris habere potest .
Et licet in cineres redigantur corpora morte ;
Illa reuiuiscent panis et huius ope .
Tempus erit , putres repetet quum spiritus artus ,
Cum quibus in terris consociatus erat .
Tunc dabitur nobis epulis accumbere caeli ,
Hoc et pane , Dei munere , posse frui .

* * *

78 M 496

ULB Halle
001 618 148



3

TA -> 0L

K018

b7





55

PANEM VIVVM
CAELO DELAPSVM

SERVATOREM OPTIMVM

BETHLEHEM

HOCEST

